



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs VIII. De auctoritate & usu pallij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## TITULUS VIII.

## DE AUCTORITATE ET USU PALLII.

## §. I.

*Quid sit Pallium, à quo, quibus, quando, & quomodo petatur & tradatur?*

**P**allium rectè dicitur præcipuum Archiepiscoporum insigne & ornamentum de corpore S. Petri sumptum (vel quia benedicitur, & consecratur super Altari S. Petri à Papa, vel quòd ex Altari Capellæ Pontificiæ sumatur; vel quia à solo Romano Pontifice de jure confertur) in quo Pontificalis Officij plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur: sicut enim Episcopus non habet plenum jus in suo Episcopatu, antequam consecratur, ita nec Archiepiscopus plenum jus habet in sua provincia, antequam Pallium accipit, ita ut nec Archiepiscopum absolute se nominare possit ante acceptum pallium *c. nisi 3. h. t.* nec alia, quæ intra Missarum solemnità ab Archiepiscopis fieri solent, facere. Petitur autem, & confertur Pallium (quod est vestis candida, ex lanâ albâ contexta, in coronæ seu circuli modum, pectus ac humeros circumdans, ac quatuor nigris, vel purpureis crucibus distincta, anteriore parte nonnihil dependens) à solo Pontifice; & quamvis conferendi pallii licentia in *c. significasti h. t.* etiam quatuor Patriarchis principalibus, postquam à Romano Pontifice Pallium suum acceperunt, & eidem obedientiam juraverunt, re-

spectu suorum suffraganeorum concedatur, hoc tamen his ex privilegio tantum convenit, & ex commissione Summi Pontificis. Patet autem etiam ex descriptione, de jure solis Archiepiscopi hujus Pallii petendi, & utendi jus convenire; Episcopis verò aliis quibusdam ex speciali privilegio, quale privilegium habere dicitur Quinqueecclesiensis in Ungaria, Ostiensis in Italia, Papiensis in Longobardia, Lucensis in Tuscia, & Bambergensis in Germania. Qui omnes petere Pallium debent, intra tres menses à die consecrationis, vel si ante consecratus jam fuit, à die confirmationis computandos *c. ad honorem 4. h. t.* juncta Gloss. ubi etiam forma traditionis refertur.

## §. II.

*De usu Pallii.*

**S**oli Romano Pontifici concessum est, uti pallio in omnibus Missarum solemnità semper, & ubique locorum (in quo scilicet plenitudo potestatis Ecclesiasticæ est) alii verò, quibus Pallii usus concessus est, nec semper eo, neque ubique uti possunt, sed tantum in Ecclesiis suæ jurisdictioni Archiepiscopali subiectis, ut patet *ex c. l. h. t. & ex c. ad honorem 4. eod.* ita ut uti eo nec possit extra Provinciam suam, nullâ consuetudine in contrarium aliquid valente, uti habetur in *c. 5. h. t.* nec extra Ecclesiam suam, si extra eam celebret; nec extra Missarum solemnità;



mnia; nec quando privatim tantum celebrat; etiam si dies sint solemnes &c. Quibus autem diebus uti Pallio possit inter Missarum solemniam, intra Ecclesiam celebrans *Gloss.* enumerat in *c. cit. ad honorem V. eod.* Alia tamen plura concedere potest etiam Pontifex, à cuius dispositione, aut obtento privilegio, usus Pallii dependet.

## §. III.

*De Auctoritate Pallii, siue que potest per illud conferatur, & an ad alios transferri possit?*

Conferitur cum Pallio plenitudo Archiepiscopalis officii Archiepiscopo, ut possit post acceptum Pallium omnes actus Archiepiscopalis dignitatis, tam ordinis quàm jurisdictionis exercere in sua Provincia, & quamvis ad substantiam collationis ordinum v. g. aut aliarum Episcopalium functionum, Pallium non requi-

ratur, ita ut rogatus ab alio Episcopo alterius Provincie ad Ordines v. g. conferendos, conferre quidem ordines possit, Pallio tamen extra suam Provinciam uti non possit sine speciali privilegio, licet tamen in sua Provincia talia non faciet, quæ inter Missarum solemniam fieri debent sine Pallio. Transferre tamen acceptum pro hac Provincia v. g. Pallium non potest, si ad alium Archiepiscopatum à Pontifice transferatur, sed novum pro novo Episcopatu petere debet, & illud quidem, olim secum sepeliendum conservare, uti tamen eo in novo Archiepiscopatu non potest, nec potest alii Archiepiscopo commodare illud, nec ad suum successorem moriens illud transmittere, cum sit Personale quid, certæ personæ concessum, cum restrictione ad locum, ut ad eò, prout respondet Pontifex in *c. ad hoc 2. h. t.* Personam non egrediatur, sed cum ea sepeliri debeat. Attendenda tamen etiam in his loci consuetudo.

T I T V L V S I X.  
DE RENUNTIATIONE.

## SECTIO I.

## §. I.

*De renuntiatione in genere, ejusque divisione.*

*Renuntiatio, prout hic de ea loquimur, aliud non est, quàm remissio, seu resignatio, seu cessio juris, quod quis habet in beneficio Ecclesiastico; duplex autem est hæc renuntiatio, tacita alia, alia expressa.*

*De tacita beneficiorum renuntiatione.*

Renunciatio tacita est, quæ ipso jure fieri censetur, absque ullis verbis expressis, & juxta juris interpretationem, ex actu directè contrario retentioni beneficii per consequentiam colligitur; prout fieri solet, si beneficiatus matrimonium contrahat, *c. 1. & 3. de Cleri. conjug.* si solemniter profiteatur religionem *c. 4.*

M 3

de